Danskernes Historie Online
Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor
Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat

Ophavsret
Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links
Slægtsforskernes Bibliotek: https://slaegtsbibliotek.dk
Danske Slægtsforskere: https://slaegt.dk

PUBLICUM EXAMEN ANNIVERSARIUM

IN

SCHOLA FRIDERICIBURGENSI,

HABENDUM

INDICIT

M. BENEDICTUS BENDTSEN,

RECTOR.

Insunt nonnulla de pietate, inprimis literaria,
C. Plinii Secundi.

HAUNIÆ 1808.

Typis Directoris JOH. FRID. SCHULTZII,
Aulæ et Universitatis Typographi.

Statens pædagogiske Studiesamling
København V.

Circumſpicienti mihi, qvanam potisſimum diſputatiuncula uterer auditores cenſoresqve publici in noſtra ſchola examinis invitaturus, in tempore accidit, ut a TRIUMVIRIS COLLEGII REGII, penes qvos eſt ſupremum rei ſcholaſticæ et Academicæ moderamen, literæ mihi redderentur, qvibus publice nomine ſcholæ donum inſigne bibliothecæ noſtræ ſcholaſticæ nuper datum celebrare juberer. Ut igitur autoritati Tantorum Virorum parerem, in hac proluſione ſcholaſtica omnia referenda putavi ad ἀνάθημα illud, qvod a pietate liberali profectum eſt, qva, qvi ſcholæ noſtræ olim alumnus fuerat, eam ſemper profecutus erat. Hæc animo volventem me ſubiit, non abs re alienum eſſe, ſi, antiqva cum novis comparando, anteqvam ipſum donarium debita celebratioue commemorarem, *de Plinii minoris pietate literaria* (ſit venia verbo) pauca præfarer.

Pliniorum natale ſolum, teſte Comite Rezzonico in disqviſitionibus Plinianis, eſt ager Comenſis, in qvo municipium Comum ad lacum Larium (hodie Lago di Como) in Gallia Transpadana ſitum. Hoc oppidum pro patria agnoſcit et diligit Cajus Cæcilius Plinius Secundus, de cujus pietate, et primo qvidem loco, qva rem ſcholaſticam

lasticam et literarum studia demereri voluit, hic dicendum est. Pater ejus ibi habitasse putandus est, ibi decessit, filioqve octavum modo annum agenti tutorem reliqvit Verginium Rufum, virum optimum et clarissimum. Decem primos ætatis annos Comi degit Plinius, tantamqve caritatem patriæ teneris his annis jam imbibit, ut matura ætate studiis et patria nil antiqvius haberet; deinde ab avunculo Plinio majore Romam deductus est; neqve enim schola Comi erat. Romæ primum sub domesticis præceptoribus literis Latinis Græcisqve operam dedit, deinde Qvinctilianum audivit. Studia literarum mature tanto amore amplexus est, ut, qvamdiu viveret, nihil prius, nihil dulcius putaret, sine dubio ad exemplar avunculi, qvi *perire omne tempus arbitrabatur, qvod studiis non impertiretur;* a qvo etiam, qvod inambularet, neqve sella veheretur, correptus erat his verbis: *Poteras has horas non perdere.* (Epp. 3, 5.) Neqve tamen diu fruitus est consvetudine et exemplo eruditissimi hujus viri, qvi cum classem Misenensem regeret, laturus opem Stabianis, periit incendio Vesuvii, Plinio nostro septendecim annos habente.

Seqventi anno in foro dicere incepit Plinius. Atqve ut paucis defungar, totum vitæ tempus studendo, studiosos fovendo, causas agendo, amicis pie inserviendo, munera publica obeundo consumsit. Præcipue tamen pietate et obseqvio in suos a nemine anteiri voluit, pietatis titulos omnibus honoribus pulchriores existimans. Cujus pietatis exempla, qvæ ad rem nostram pertineant, ex epistolis ejus colligere nostrum jam erit.

Adeamus itaqve Comenses, Plinii populares. Videbimus eum qvacunqve ratione rem publicam Comensium emendare, tueri, ornare,

nare, illuſtrare voluiſſe. *Patriam meam omnibus rebus augeri cupio*, ſcripſit ipſe ad proſocerum ſuum Fabatum (7, 32), idemqve re et opera perfecit, eoqve conſilio ſæpius itinera in patriam ſuſcepit, non modo amore regionis ductus, ſed etiam ut neceſſitatibus patriæ ſubveniret. Et cum literariæ pietatis nomine inprimis Plinium collaudare volumus, merito repetendum eſt ab iis beneficiis, qvæ literarum cauſa in Comenſes ſuos contulit. Itaqve primo loco commemoramus *ſcholam in urbe patria conditam.* Cum enim videret, nullos Comi eſſe præceptores, pueros autem Mediolanum mitti, ut ibi inſtituerentur, indignitate rei commotus, gravisſima cohortatione patres Comenſes ad ſcholam in patria urbe condendam excitavit. Monet, *pueros non jucundius, qvam in patria morari; non pudicius contineri poſſe qvam ſub oculis parentum; nusqvam minore ſumtu qvam domi.* Invitat dein ad pecuniam conferendam, ut conducerentur præceptores; nunqvam pecuniam melius collocari poſſe; ſe tertiam partem ejus, qvod illis conferre placeret, lubentisſime collaturum *pro republica noſtra*, inqvit, *tanqvam pro filia aut parente*, (erat autem patronus Comenſium). Non opus eſt multis exponere pulcherrimos, piisſimos, ſapientisſimos ſenſus Plinianos, licet iis immorari et deceat et conducat. Scholas in patria non haberi qvid acerbius pio? Qvid igitur prius Plinio agendum, qvam ut tantum nefas avertat et prohibeat? An pulchrius qvidqvam, qvam patriæ conſulere? Qvid etiam ſapientius ea exhortatione, qva municipes excitat? Qvid verius, qvid ſalubrius, qvam qvæ de puerorum educatione monet? Potuitne patres prudentius inſtigare ad conferendum qvam plurimum? "Conſi-"dera. inqvit Gesnerus ad h. l. (4, 13), prudentem Secundi libera-

"litatem,

"litatem, et qvas qvasi fidiculas suis municipibus adhibeat, ad ex-
"torqvendam et ipsis collationem. Non pollicetur certam summam,
"sed solus promittit trientem ejus summæ, cujus reliqvi municipes
"bessem collaturi essent. Itaqve non modo pudorem virorum bo-
"norum acuit, ut erubescant nimis parum conferre; sed ipsam qvo-
"rundam malevolentiam servire optimo instituto cogit. Procul du-
"bio enim erant, qvi jactationem interpretarentur illam Plinii pro-
"misionem, eaqve ut ipsi non parvo constaret, plus, qvam alioqvi
"tulisset animus, conferrent." Sed videamus etiam, qvam sapien-
ter provideat, ne præceptores minus idonei eligerentur. Cum ho-
mines et rem publicam municipiorum bene nosset, ambitu rem cor-
rumpi putat, si præceptores publice conducantur; parentes autem
in re sua plus videre, operamqve adeo daturos esse, ne pecuniam
etiam publicam nisi dignus accipiat, si et ab ipsis accepturus sit.
Itaqve parentibus solis jus conducendi præceptores relinqvit; nihilo
tamen minus eos exhortatur, ut, qvam fieri posset, optimos præ-
ceptores conducerent, causas addens, eos nihil honestius liberis,
nihil gratius patriæ præstare posse; ita fore, ut *pueri statim ab
infantia natale solum amare consvescant*, ut finitimorum oppi-
dorum pueri studiorum causa Comum confluerent. Non dubium est,
qvin honestissimis his pollicitationibus et exhortationibus obsecuti
fuerint Comenses; neqve enim alias Plinius a Tacito petivisset, ut
ex copia studiosorum, qvi ad eum Romæ convenirent, circumspiceret
præceptores, qvi Comum irent, ut ibi parentibus doctrinam et indu-
striam suam probarent, impendium itineris sibi vindicante Plinio.

Huic beneficio aliud mox addidit, imitatus, ut videtur, libe-
ralitatem imperatoris Trajani, qvam ipse laudibus celebrat Paneg. 26.

Tra-

Trajanus pauperum liberis Romæ, poſtea etiam in municipiis, ut eo liberalius educari poſſent, alimenta dederat. Plinius, pueros hos jam inde ab infantia imperatorem parentem publicum munere educationis experiri teſtatus, ut ſimili beneficentia municipes ſuos devinciret, ſtatuit, non in ludos aut gladiatores, ſed *in alimenta ingenuorum qvingenta millia nummum dare.* Sed vide, qvam provide et prudenter egerit. Si ſummam reipublicæ Comenſium numeraſſet, periculum erat, ne poſt aliqvot annos dilaberetur; ſi agros dediſſet, ne negligerentur ut publici. Pro his igitur qvingentis millibus nummum (ipſum loqventem facio 7, 18) "agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipavi; eundem vectigali impoſito recepi, tricena millia annua daturus. Per hoc enim et reipublicæ ſors in tuto, nec reditus incertus, et ager ipſe propter id, qvod vectigali large ſupercurrit, ſemper dominum, a qvo exerceatur, inveniet. Nec ignoro, me plus aliqvanto, qvam donaſſe videor, erogaviſſe, cum pulcherrimi agri pretium neceſſitas vectigalis infregerit. Sed oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multoqve diligentius muneri ſuo conſulere, qvam facultatibus." O laudabilem munificentiam, ad qvam non impetu, ſed conſilio traharis! Qvin orationem etiam in curia Comenſi apud decuriones habuit, ut utiliſſimum munus, ſed non perinde populare, commendaret, qva qvidem commendatione ludi et ſpectacula non eguiſſent. *Ut vero aliqvis*, inqvit ipſe, *libenter educationis tædium laboremqve ſuſcipiat, non præmiis modo, verum etiam exqviſitis adhortationibus impetrandum eſt.*

Eſt ita comparatum, ut antiqviora beneficia ſubvertas, niſi illa poſterioribus cumules. Ita Plinio viſum, qvi Comenſibus beneſa-

cere

cere non desiit, prioraqve beneficia novis tueri. Saturninus Comensis Plinium hæredem scripserat, reipublicæ autem Comensium præceptionem qvadringentorum millium dederat. Sed jure Romano nec hæredem institui, nec præcipere posse rempublicam Saturninus ignoraverat. Qvæ cum ita essent, Plinius, si voluisset, jure sibi omnia vindicare potuisset. Illi autem defuncti voluntas jure antiqvior erat, ultroqve qvadringenta millia reipublicæ Comensinm condonavit; qva lege, nescimus. Cum autem non obscure indicaverat (I, 8), ea, qvæ in alimenta ingenuorum dedisset, non ad totam plebem Comensem pervenire posse; ceteros autem debere paucorum honorem et exspectare et mereri, non absimile est vero, si Plinius e munificentia Saturnini novum fontem aperuerit, unde ad educationem et alimenta ingenuorum multa bona redundare possent.

De suo autem tertium beneficium addidit Plinius, *bibliothecam publicam* in municipio Comensi, imitatus sine dubio Asinium Pollionem *). Rara sane munificentia et a sapiente viro profecta, qvi ea non destitit facere, qvibus priora beneficia fructuosiora et lætiora redderentur. Qvot millia nummum in hanc bibliothecam impendisset **), tacet qvidem (I, 8), si autem de solita ejus liberalitate conjecturam facias, cum etiam solenni oratione apud municipes habita bibliothecam publice dedicaverit, videtur ea fuisse qvantivis pretii. In ea oratione Plinius etiam munificentiam parentum suorum in rempublicam Comensium commemoraverat, sine dubio cau-

*) Plin. Hist. Nat. 35, 2. "Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qvi primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.

**) Cellarius e Grutero, qvem ad manum non habemus, affert inscriptionem de marmore Mediolanensi desumtam, in qva celebrantur, qvæ Plinius in alimenta puerorum et puellarum atqve in tutelam bibliothecæ dedit.

causam interferens hanc, qvare a vestigiis tam piis sibi non fas esset recedere. O civem optimum! o studiorum et studiosorum amantissimum! Videmus eum nihil prorsus intentatum reliqvisse, qvo minus e pietate ipsius literaria pulcherrimi fructus, qvantum in ipsum esset, ad posteros redundarent.

In his poteramus subsistere; nam literariam Plinii pietatem debitis laudibus prosecuti sumus. Speramus tamen non ingratum fore lectoribus sive cognoscere sive recognoscere alia specimina pietatis piæqve liberalitatis Plinianæ, qvæ utiqve in tanto viro admodum delectant, nostro præsertim tempore, qvo patria nostra tot egregia documenta piæ liberalitatis exhibet. Ante diximus, Plinium omni consilio et ratione patriam adjuvasse, ornasse. Hinc causas forenses Comensium Romæ egit, magnamqve huic operi solicitudinem sesa præstitisse scribit; nam *in ceteris actionibus existimationi hominum diligentia tantum et fides nostra, ita hac etiam pietas subjicietur* (2, 5). Templum Jovis Comense condecoravit signo Corinthio elegantissimo; emi, inqvit, non ut domi haberem, sed ut in patria celebri loco ponerem (3, 6). Villas ad lacum Larium plures ædificavit, duas tamen præcipue amœnas, qvæ totam regionem exornabant (9, 7). Aliis etiam, qvi Comum exornabant, gratias agit ex. gr. prosocero Fabato, qvi porticum dedicaverat, et in portarum ornatum pecuniam promiserat (5, 12), Caninio (7, 18).

Qvando in patriam ipse Roma excurrit, (qvod qvidem sæpe fecit, sæpius fecisset, nisi publica officia ipsum detinuissent,) expulsis aliis virtutibus, ut ipse ait de Marcellino (5, 16), pietatis est totus. Ibi est cum amicis et sodalibus, circumit agellos, audit rusticorum qverelas; ibi judicem et arbitrum (7, 30) imo patrem familiæ

agit (9, 15); itidem in servos benignissimus est, iisqve qvasi testamenta facere permittit, qvæ servanda curat (8, 16).

Etiam jucundissimum illi est Comenses commendare et adjuvare. Cornelio Minuciano, qvem *ornamentum regionis suæ* vocat, tribunatum impetravit (7, 22). Romanum Firmum, Comensem, ea munificentia adjuvit, ut dignitatem eqvestrem et obtinere et tueri posset (1, 19). Metilio Crispo, municipi suo, ordines impetravit, et qvadraginta millia nummum ad se instruendum et ornandum dedit (6, 25). Calvisium Rufum carissimum habuit, addita causa, qvia *eandem rempublicam, ut civis optimus, diligeret* (5, 8); eidem etiam tribunatum petivit (4, 4).

Nil mirum, si Plinius patriæ Como celebritatem nominis apud posteros exoptaret, eamqve spem fama avunculi et scriptis, tandem etiam suis, lætus præciperet. Sed et alios Comenses, qvibus ingenium abunde suppetere videbat, ad effingendum et excudendum aliqvid, unde immortalitas pareretur, incitat et impellit. Sic Caninii Rufi ingenium laudibus extollit, tribus epistolis (1, 3. 2, 8. 3, 7), ut scriptis famam nominis sibi conciliet, gravissime exhortatur; tandem lætitiæ non temperare potest, ubi audivit, eum Dacicum Trajani bellum canere, qvod consilium ejus magnopere laudat, et, ut prima qvæqve carminis membra vel recentia et rudia sibi mittat, rogat, ea qvidem mente, ut sua limatione, saltem judicio (sua enim scripta ab aliis voluit expolita 1, 2. 8. 3, 2. 13. etc.) hoc opus eo consummatius prodiret (8, 4). An prodierit, nescio; laudat tamen 9, 18 opus Rufi præclarissimum. Pompejum Saturninum, etiam Comensem, ut oratorem, historicum et poetam melioris notæ admodum commendat, dolens, huic viro non tantam gratiam et admira-

mirationem præſenti vivoqve contingere, qvantam meruiſſet (1, 16). Tantum aberat Plinius ab omni invidia, qvam patriæ condonat, exemplo Pindari, qvi Æneam, gentilem ſuum poetamqve nobilem incitat ad canendum patriamqve carminibus ſuis celebrandam, ἐι φεύγομεν ἀρχαῖον ὄνειδος Βοιωτίαν ὕν. (Olymp. 6, 151).

Facile intelligitur, eum nou reticuiſſe præclara facta Comenſium. Itaqve cum navigans per Larium lacum ab amico ſeniore audiviſſet, municipem qvandam oppidi maritum, inſanabili morbo correptum, ut moreretur, hortatam ſeſe cum marito in lacum præcipitaſſe, hoc facinus celebrat ut dignisſimum, qvod cum Arriæ facto nobilisſimo (3, 16) compararetur. Qvin fontem in agro Comenſi juxta lacum Larium, qvem avunculus ejus in H. N. 2, 103 (de miraculis aqvarum, fontium et fluminum) nominaverat, copioſe deſcribit, ut miraculum rei etiam celebritatem Comis adjiceret (6, 24. 4, 30).

In finibus Umbriæ posſidebat Plinius magna prædia, Tuſcos; adjacebat municipium Tiſernum, cujus incolæ eum, vix pueritiam egreſſum, patronum cooptaverant. Ferebat res, ut ibi ſæpius moraretur, et qvaſi alteram patriam hanc regionem haberet. Itaqve rem Tiſernatum pie adjuvabat; templum iis ſua pecunia exſtruxit et dedicavit (4, 1), ornatum poſtea, collocatis ibi ſtatuis imperatorum Romanorum, Trajani inprimis (10, 12). Ibidem etiam templum Cereris vetuſtate ruinoſum pulcherrime reficiendum curavit (9, 39).

Addamus his pietatem, qvam Plinius in neceſſarios oſtendit. De pietate in *matrem*, a cujus latere inter terræ motus Campaniæ non disceſſit, videatur ep. 6, 20. Avunculum, eundemqve *per adoptionem patrem* (5, 8), a qvo optimis magiſtris traditus, privatimqve ad ſtudia literarum incitatus, cujus etiam in domo educatus erat,

 ſum

ſummis laudibus celebrat, ſcripta et diligentiam incredibilem prædicat, Tacitumqve, ut memoriam tanti viri ſcriptis ſuis immortalitati conſecraret, etiam atqve etiam rogat (3, 5. 6, 16). Verginium Rufum, virum antiqvi exempli, omni, qva fieri poteſt, pietate amplectitur; ipſe affert cauſas, primo qvod utriqve eadem regio (Transpadana), municipia finitima (Comum et Mediolanum); præterea qvod ille *tutor* Plinio relictus affectum parentis ipſi exhibuiſſet; qvod candidatum ſuffragio ſemper ornaviſſet (2, 1). Corellii Rufi mortem admodum dolebat; amiſerat enim *vitæ ſuæ teſtem, rectorem, magiſtrum* (1, 12). In relictam filiam et ſororem Corellii officioſisſimam amicitiam poſtea oſtendit (3, 3. 4, 17. 7, 11). Tandem etiam monumentum pietatis in Qvinctilianum, cujus ſcholam freqventaverat, reliqvit ep. 6, 32. Scripta eſt hæc epiſtola urbanisſime, ita qvidem, ut hunc ſuum qvondam *præceptorem* et vereri et diligere videatur. Qvinctilianus, gravisſimus et ſubtilis judicii vir, non cumulatur laudibus *), a qvibus putandus erat abhorrere, qvas autem in mortuos avunculum, Verginium et Corellium commode deferre poterat Plinius, qvi etiam blande et molliter dona nuptialia nupturæ Qvinctiliani filiæ offert, pie qveſtus, præceptorem qvondam ſuum modicum eſſe facultatibus; addidit: beatisſimum animo.

Hactenus de pietate Pliniana. Transimus ad celebrandam beneficentiam eam et pietatem, cui acceptum fert ſchola noſtra inſigne donum, cæleſtem terreſtremqve Sphæram, utramqve eximiæ magnitudinis. Delineati ſunt hi globi cura ſocietatis Cosmographicæ Upſalienſis, cæleſtis qvidem ab Andrea Akermanno 1766, terreſtris ab eodem, emendatus autem ex conſilio ſocietatis regiæ Acad. ſcientiarum Stockholm. opera Friderici Acrel 1780; in hoc globo etiam ſiſtitur

*) hoc amantis eſt, non onerare laudibus. *L.M.*

tur iter circumpolare Cookii, cum ejusdem obſervationibus magneticis et detecto a Wilckio regionis polaris magneticæ ſitu. Tam eximium donarium debetur beato FRIDERICO WILHELMO WISCH, chirurgo qvondam chiliadis, qvæ Helſingoræ eſt, experientisſimo, cujus memoriam grati ornare debemus. In ſchola noſtra fundamenta ſtudiorum, docente ducenteqve patre noſtro, jecit dimiſſus cum magna laude anno 1787; in Univerſitate Hauniensi adeo ſtrenue arti Chirurgicæ et Medicæ operam dedit, ut poſtea ſalutarem hanc artem exercendo optime de multis hominibus meruerit, et Helſingoræ inprimis triſtisſimum ſui reliqverit deſiderium. Neqve reticendum, cauſas mortis profectas eſſe a ſtudio acerrimo, qvo partes ſuas egit in noſocomio Helſingorano, ubi cum graſſaretur contagioſus morbus, nihilominus indefeſſus ægrotorum opifer, ipſe malum hauſit, et poſt paucos dies obiit. O fallacem hominum ſpem fragilemqve fortunam! in medio curſu cecidit, qvem fas fuerat diu ſalutifera arte multis profuiſſe. Raptum luxit, freqvens exſeqvias ejus celebravit Helſingora, ſuffragata Homero: Ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων *). Dum autem in vivis erat, ſæpe ſuis commemoraverat, qvæ ſcholæ noſtræ deberet, velleqve ſe teſtamento gratiam referre bibliothecam ſcholaſticam ornando, et qvaſi mortem præmaturam præſentiret, nuncupavit globos. Ecce interceptus eſt acerbo funere, nullo teſtamento condito. Sed vitricus ejus, vir antiqvæ fidei, centurionis gradum in exercitu tenens, *Claudius Plum*, nomine honeſtisſimæ ſororis defuncti, ſtatim Pliniana religione declaravit, ſancte cuſtodiendam eſſe defuncti voluntatem vel ſine teſtamento. Ita globi hi nitidisſimi ſcholæ noſtræ ceſſerunt. Tu vero ſub terram condite qvieſcas placide! Tuam pietatem grata mente recolemus, Tui bene-

*) Il. λ, 514.

beneficii memoriam ſervabit tabularium ſcholæ. Qvin ſperamus, alios ſcholæ hujus alumnos, ſi qvibus ampla res domi, ad tuum exemplum literariam ſcholæ noſtræ ſupellectilem in poſterum ornaturos eſſe. Nec defuerunt, qvi jam antea bibliothecæ noſtræ conſulere vellent, qvorum e numero honoris cauſa nominamus BASTHOLMIUM, qvi, licet ex hac ſchola non egreſſus, præter vigilantisſimam curam, qva Scholarchæ qvondam apud nos officio functus eſt, etiam libros a ſe editos, magni in literis nominis, ſcholæ noſtræ dono dedit. Maxima tamen et lætisſima incrementa debet bibliotheca noſtra SUMMIS UNIVERSITATIS ET SCHOLARUM MODERATORIBUS, qvorum beneficio non modo res noſtræ egregie auctæ ſuut, verum etiam certisſima ſpes injecta, fore, ut in poſterum amplius augeantur.

Reſtat, ut, finita hac proluſione properemus ad partes Rectoris peragendas. Qvippe indicendum eſt publicum examen in ſchola noſtra, jubentibus amplisſimis SCHOLARCHIS, IIII Nonar. Octob. incipiendum. Cui ut intereſſe velint rerum noſtrarum ſautores, omniaqve ſuo ſplendore et virtute honeſtare, ea, qva par eſt, obſervantia rogamus.

Den

Den offentlige Examen i Friderichsborgs lærde Skole holdes saaledes:

Tirsdagen d. 4de October.

Formiddag.

8 — 11.	Latin.	3 Classe.
11 — 12.	Hebraisk.	

Eftermiddag.

2 — 5.	Latin.	2 Classe.

Onsdagen d. 5te October.

Formiddag.

8 — 10.	Dansk Stiil.	3 Classe.
10 — 12.	Geographie.	

Eftermiddag.

2 — 5.	Latin.	1 Classe.

Torsdagen d. 6te October.

Formiddag.

8 — 10½.	Historie.	2 Classe.
10½ — 12	Fransk.	

Eftermiddag.

2 — 3½.	Calligraphie.	1 Classe.
3½ — 5.	Naturhistorie.	

Fredagen d. 7de October.

Formiddag.

8 — 10.	Latinsk Stiil.	3 Classe.
10 — 12.	Fransk.	

Eftermiddag.

2 — 3½.	Dansk Stiil.	2 Classe.
3½ — 5.	Arithmetik.	

Löverdagen d. 8de October.

Formiddag.

8 — 10.	Latinsk Version.	3 Classe.
10 — 12.	Tegning.	

Eftermiddag.

2 — 3½.	Tegning.	1 Classe.
3½ — 5.	Arithmetik.	

Mandagen d. 10de October.

Formiddag.

8 — 11.	Græsk.	3 Classe.
11 — 12.	Declamation.	

Eftermiddag.

2 — 3½.	Religion.	2 Classe.
3½ — 5.	Calligraphie.	

Tirs-

Tirsdagen d. 11te October.

Formiddag.

8 — 10. Latinsk Stiil. } 2 Classe.
10 — 12. Geographie. }

Eftermiddag.

2 — 3½. Religion. } 1 Classe.
3½ — 5. Dansk. }

Onsdagen d. 12te October.

Formiddag.

8 — 10. Arithmetik. } 3 Classe.
10 — 12. Geometrie. }

Eftermiddag.

2 — 5. Historiske Opgaver. 3 Classe.

Torsdagen d. 13de October.

Formiddag.

8 — 10. Historie. } 3 Classe.
10 — 12. Tysk. }

Eftermiddag.

2 — 5. Græsk. 2 Classe.

Fredagen d. 14de October.

Formiddag.

8 — 10. Historie. } 1 Classe.
10 — 12. Geographie. }

Eftermiddag.

2 — 5. Religion. 3 Classe.

Löverdagen d. 15de October.

Formiddag.

8 — 10. Naturhistorie. } 2 Classe.
10 — 12. Tegning. }

Desuden uddeles Character for Svömning i alle Classer.